



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Restituta V. M. 27. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

S. RESTITUTA V. M. 27. Maii.

**R**omæ nata RESTITUTA, denata Sorœ nobiles natales nobilissimâ morte illustravit. Nubilis domi tamen clausa egit, & formam, quâ passim juventus nobilis deperibat, velut ignem custodiit, non jam Vestæ, sed Christi virgo. Hujus illa unius thalamum suspirabat, & aliter etiam nuptæ nomen refugiebat. Interreà invidit D e o sponsam suam, ut solet, orcus, adsuitque minas spirans & ignes. At RESTITUTA nuper jam boni Angeli aspectu exhilarata, risit riyalem deformem, & tam formidandum monstrum in fugam puella egit. Secundum hæc, Christo auctore, ædibus paternis excessit virgo Soram abitura, nec tamen sine comite. Nam ad Lateranum Angelum invenit, qui toto itinere latus euntis stipavit, dolentis credo cùm urbem aspiceret, quòd iter longius non fuisset. Jam sub ingressum, cùm miraculo prodita esset (morbum nescio à quo removerat) nobilem hospitem, nobile hospitium carcer martyrum exceptit, ita Agathio Procos. jubente. Ex in scorpiibus cæsa cecinit. VII. dies nocteisque sine viâ clausa cum Angelis vixit, oblitera jam cibi, aspectu satiata. Denique capite unâ cum Cyrillo Episcopo aliisque truncata, cælum subiit, cùm carceris

340 VITÆ SANCTORUM. 28. Maii.  
custodes, & adeò carnifices miraculis  
captos eâdem viâ nuper iam præmisisset.  
*Ex Ferrar.*

*Non est injustus Deus, ut obliviscatur o-  
peris boni: vivit apud eum memoria benefi-  
cii semel accepti. Beatus, apud quem Deus  
vel semel requiem invenerit; in cuius taber-  
naculo vel horâ unâ requieverit. Guerric.  
serm. 3. de Ass. B. M. V.*

S. GERMANUS PARIS. EP.  
28. Maii.

**G**ERMANO mors nondum nato, ab  
ipsâ, quod obomineris, matre; na-  
to ab a viâ propinata est; nihilominus  
inter domestica latrocinia adolevit, ve-  
neno priore maternis visceribus, sino no-  
xâ foetus, diffuso, altero ad aviæ filium  
delato, æquissimo sine dubio errore,  
ut, cui Germani hæreditas quærebatur,  
idem paratam innocentia pestem biberet.  
**G**ERMANUM contrâ Parisiensis mitra  
expectabat, & in omnes morbos jus,  
benevolentia Numinis maleficia mortali-  
um in ejus gloriam vertente. Saliva e-  
jus vestium lacinia, stramen, quod in  
cubitu pressisset, vim medicam habue-  
re. Hæc alexipharmacâ etiam Reges am-  
biebant. Clotharius, quod virum san-  
ctum parum civili pro foribus morâ fa-  
tigasset, injuriam febri luit, quâ inode-  
stior factus, postridie S. viri palliolum  
ol-